



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim**

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii  
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae  
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

**Quintilianus, Marcus Fabius**

**Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665**

CCLVI. Furiorus trium filiorum pater.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12889**

## CCLVI.

*Furiosus trium filiorum pater.*

Qui tres filios habebat, duos per furorem occidit; à tertio sanatus, abdicat eum.

## DECLAMATIO.

**P**Oteram etiam si non irascerer, abdicare, tanquam bonus pater. Omnia de fortuna mea timeo, omnia de tam fragili, ac tam mutabili mente: & propter hoc dimitendus mihi à domo filius erat, ne incideret in meum furorem. Sed quatenus & causas quoque abdicationis interrogor, id est quod cogit me frequentius malorum meorum meminisse: quanquam inter præcipua propter quæ abdicem, hoc est quod mihi ista narranda sunt: dicam tamen. Imputo filio meo orbitatem. Respondebit: non ego occidi. Scio, mea manu factum est: ipse ego pater qui genueram, qui educaveram, per viscera liberorum ferrum exegi: credo enim tibi, & orbitatem tamen tibi imputo, tibi æstimo illam ex die mei doloris. Quædam ignorare simile non passi estis: tunc liberos perdidisti, cum perdidisse me sensi. Esto, gravem sine dubio manibus meis injuriam fortuna fecerat: posuerat tamen hujus rei in ipso animo remedium illo tempore, quo furere & agi dementia videbar. Frequentius in ea cogitatione eram, ut crederem esse cum liberis omnibus. Abstulisti mihi ignorantiam malorum. Quanto miserabilior fui ex die tuæ sanitatis? furiosum me non sic cecidi: tum lacerare vestes, tum verberare vultus meos coepi. Omnia igitur hæc non in aliam vim accipi debent, quam si filios meos ipse occidisses, quam si ipse abstulisses. Unde tantum boni, ut reddere possis illam valetudinem, illum furorem? Quod unum possum præstare infœlicissimis illis juvenibus meis, præstabo: ne quis eorum morte gaudeat, ne cui profit quod filios meos occidi.

## CCLVII.

x Ex die mei doloris.] Vet. ex. mea sanitatis. Idem.